





Q. F. F. Q. S.

DISPUTATIO JURIDICA
THEORETICO - PRACTICA
INAUGURALIS,

De
OBLATIONE, OBSIGNA-
tione & Depositione Pec-
niæ debitæ,

Quam

DEO T. O. M. PRÆSIDE;

Ex Autoritate & Decreto

Magnificæ, Excellentissimæ & Consultissimæ

FACULTATIS JURIDICÆ,

in Celeberrima Academia Ele-

ctorali Brandenburgica, quæ est DUIS-

BURGI Clivorum,

PRO

Gradu Doctoratûs & Privilegiis

in Utroque Jure ritè ac solenniter

consequendis,

Publicæ Eruditorum censuræ submittit

JOHANNES WILHELMUS KIRBERG,

TREM: à Consiliis Illustrissimi Com. Benth.,

Tecklab. & Limb. &c.

In Auditorio Majori, die 24. Octobris,

horis consuetis.

DUISBURGI ad RHENUM,
Apud FRANCONEM SAS, Academ. Typogr.
Anno M. DC. XC.

245

13

1690



ILLUSTRISSIMO, GENEROSISSIMO
COMITI AC DOMINO,

DOMINO

FRIDERICO
MAURITIO,

COMITI AC DOMINO

BENTHEMII, TECKLABURGI,

STEINFURTI, ATQUE LIMBURGI,

DOMINO LINGÆ, RHEDÆ, WEVELINGHO-

VII, HOJÆ, ALPHENII ET HELFFEN-

STEINII, &c. &c. PRÆFECTO COLO-

NIENSIUM HEREDITARIO,

DOMINO SUO CLEMENTISSIMO,

Inauguralem hanc Disputationem in debitæ
gratitudinis atque ulterioris commenda-
tionis obsequiosissimæ tesseram,

*Cum humillimo duraturæ felicitatis
ac felicissimi Regiminis Voto*

D. D. D.

Subjectissimus Cliens.

J. W. K.



*Illustrissime, Generosissime Comes,
Mœcenas Optime Maxime.*

CUM post infinita ferè Illustrissimorum Excell:
VESTRÆ Majorum in materni generis avum
 meum beneficia, Tuus etiam novissimæ gratiæ rivus,
 ex agnato quasi humanitatis genio, ad meam quo-
 que casulam haud ita pridem decurrere, meque adeò,
 utut immerentem, at humillimi tamen obsequii cli-
 entem, Suis à Consilio Vasallis annumerare non du-
 bitaverit; Anxius ipsemet aliquantò post, ac velut
 stupidus, hæsitare mihi visus sum, quem videlicet
 imprimis grati animi tramitem homini, aliàs minimè
 malo, insistendum maximè ducerem; At obversis de-
 nique in omnem partem sensibus, nulla mihi potior
 submissæ meæ devotionis contestandæ occurrebat
 ratio, quàm ut primum illum Juridici mei Studii
 flosculum Et, post Deum, soli sacrum facerem, Cui
 nihil hæctenus æquè in votis fuit, atque hujusmodi
 generis Candidatos non fovere tantùm, sed extol-
 lere. Ne repudium patiar, TUA illa, Generosissime
 Comes, Excellens Præstantissimarum virtutum Ca-
 tena præstiterit, in quâ potissimum sibi locum sin-
 gularis quædam, ac Gentilis, animi Comitatus usque
 adeò delegisse comperta est, ut vel aquam ex cavâ
 de fonte minimam acceptare oblatam, cum magno
 illo Persarum Rege, dedignatura non sit. Sed & al-
 teram quoque felicitatis meæ partem deputo, quòd
 cum

cum autore *filiam* simul i. e. Exercitatuunculam hanc Inauguralem exiguam meam, à sinistris invidorum morsibus, sartam omninò ac tectam, sub ipso Illustrissimi Nominis Tui Præsidio, redditum iri mihi persuadeo. Præsentiſſimum sine dubio conceptæ *fidelitatis* humillimæ solatium; quo si Benevolus, ut solet, Generosissimæ facilitatis Tuæ Favor utifrui me imposterum sinet, erit aliquando, ubi longè officiosissimam hanc infimæ subjectionis meæ Tesseram Generositati olim VESTRÆ *oblatam* dicatamque, jam *conſignatam* etiam, in æde tandem Honoris Publicæ *deponere* satis habeam: Neque enim naturalis aliqua infinitæ *obligationis solutio* speranda fuerat ei, qui integram *satisfactionis suæ* rationem in mera Gratosissimi CREDITORIS sui benevolentiam reponere debuit; cui sicut me etiam atque etiam quam humillimè commendatum rogo, ita Deum T. O. M. enixis implorare precibus minimè desinam, ut Tuam ipse Generositatem tam Imp. Romano-Germanico, & Patriæ, quàm Illustrissimæ insuper DOMUI Tuæ, ac mihi, longâ annorum serie incolumem conservare dignetur. Quod animitus iterum vovet

Illustrissimæ Generositatis Vestræ

Humillimus Cliens

J. W. K.



I. N. D. N. J. C.

DISPUTATIO JURIDICA
INAUGURALIS,

De

OBLATIONE, OBSIGNA-
tione & Depositione Pecun-
niæ Debitæ.

P R O O E M I U M.



Ameti plerumque Creditorum interesse constat, pecuniam debitam quamprimum solvi, attamen aliquando ea res etiam debitoribus, justissime solvere desiderantibus, ad usuras, damna periculaque pecuniæ solvendæ evitanda, aliamve ob causam justam plurimum conducit. Cum verò Creditores persæpè solutionem dolosè, vel ob id ipsum quidem (quod evitare student) usurarum incrementum, detrectent recusentque, ac, ne vel Magistratûs etiam autoritate, ut Creditor pecuniam invitus accipiat, effici queat (neque enim sicut auferri quid invito atque adimi, ita dari quoque aut tradi potest) *Lege sive Consuetudine*

A

tudine

tudine modus aliquis inventus est, quò servatò, debitor omni obligationis onere perinde liberetur, ac si verè & naturaliter debitum Creditori solvisset; Quæ idcirco, ex peculiari juris artificio, *fieta solutio* dicitur, *l. satisfactio. 52. ff. de solut. & liber.* Estque hæc in specie *Solennis pecuniæ debite depositio* inter modos tollendarum Obligationum non ignobilis loci (quæ æquè aliàs in *Retractu*, vid. Pet. Greg. Tholof. *Syntagm. jur. univers. lib. 26. c. 23. per tot.* ac *inter plures Creditores* maximè usitata, de cujus particula vid. *infr. in §. 10. cap. 4.* aliò verò sensu accipitur *infr. in §. fin. d. cap. 4. Conf. infr. §. 4. cap. 1. b.*) Causam habes, Humanissime Lector, cur materiam hanc usu celebrem jam nunc tractare, ejusque *Requisita* atque effectus eâ, quâ fieri potest, brevitate, auxiliò Divinò hìc proponere constituerim.

CAPUT PRIMUM.

De Descriptione & Divisione.

Obligacione igitur *totius debite* pecuniæ solenniter factâ debitorem liberari Impp. Dioclet. & Maximin. in *L. Obligacione 9. C. de solut.* rescripsere. Eò ipsò enim emphaticò *Obligacionis*, ut & nostratibus vulgò *Consignationis* vocabulò, *universus ille solennis actus*, quò debitorem, creditore debitum accipere recusante, *solutione defungi* posse, supra ad proœm. diximus, designatur *add. l. 41. §. 1. ff. de Usur.* quem eundem quidem solvendæ obligationis actum nos ibidem *Depositionem*, à postremâ scil. potissimâque ejus parte, appellavimus: Impp. verò in hâc ipsâ *d. l. 9. Oblacionem* quoque, à prima sc. parte, nominant.

§. I.

Partes etenim hujus actus nostri numerò *tres* constituimus:

Oblatio

Oblatio pecunie debita, ejusdem Obsignatio, ac demum Depositio.
l. 7. ff. de Usur. l. 19. C. cod. l. 20. C. de pignor. & passim alibi.

§. II.

Oblatio (secus atque in Jure Canonico, quæ Clericis præstatur hodiè à Laicis, *Opfferhand*) tunc demum fieri dicitur, cum debitor Creditori pecuniam debitam coràm exhibet, solvere paratus. Estque duplex, alia nuda seu Verbalis, alia Realis: illa nudis verbis; hæc verò re ipsa, h. e. Numeratione, tum præsentis pecuniæ, tum totius etiam, quæ debetur, instituitur, quam modò descripsimus, *vid. infr. Cap. 2. §. 1. cum seqq.*

§. III.

Obsignationem voco, cum, Creditore, accipere oblatam pecuniam recusante, debitor eandem in sacculum, aliòvè inditam inclusamq; signari facit, ut nisi amotò sigillò, sacculus aperiri non possit. *l. 1. §. si pecunia. 36. ff. deposit. Quæ itidem duplex, vel totalis, vel partialis est, ut patet ex l. 9. C. de solut. & L. tutor. 41. §. 1. ff. de usur. & fruct.*

§. IV.

Depositio (aliter ac vel apud Pontificios, ubi pro degradatione sumitur *c. degradatio de pœn. lib. 6.* de qua latè apud Pet. Gregor. Tholos. *Synt. lib. 31. c. 30.* vel apud Pragmaticos, quibus pro attestatione valet, *vid. Guid. Pap. Decis. quest. 72. n. 2.* vel apud veteres Germanos pro singulari Academiarum Scholariumque ritu, etiam hìc locorum justè jam sublatò. *vid. Besold. in Th. Pr. part. 1. lit. D. n. 10. verb. Deponiren.*) vim nobis potestatemque depositi continet; quam duplicem proinde facimus: Aliam voluntariam, aliam necessariam: HANC differentiæ causâ sequestrationem appellitamus, *ex l. 5. §. fin. ff. deposit. Conf. infr. §. fin. cap. 4. b.* quæ huc non spectat; ILLA rursùm duplex est, vel judicialis, vel extrajudicialis: hæc etiam dicitur depositum simplex, & huc itidem non spectat, cum sit contractus, utut alias etiam idipsum depositionem in *l. 1. §. est a. 22. in fin. & d. l. 5. §. fin. ff. de pos.* appellari video. Illa verò est depositio pecunie debite, quam hujus propriè loci facio, cum debitor nempè sacculum (ut antea scripsi) obsignatum loco tuto deponit, unde Creditor eum ac-

A 2

cipere,

cipere, cum velit, possit; vel accuratiùs ita definiri potest: *Depositio est modus solvenda obligationis, quò debitor totum debitum realiter, opportunò locò & tempore in moneta promissa offert, oblatum, creditore id acceptare absque justa causa recusante, judicialiter in presentia Creditoris obsignat, obsignatumque in loco publico vel privato competentis jussu judicis deponit; quibus omnibus ritè servatis, debitorem in totum liberari, ac si reapse pecuniam debitam exsolvisset, certissimi juris est. d. l. 9. & l. acceptam. 19. C. de Usur.*

§. V.

Regulariter itaque, ut talis contingat liberatio, partes haece omnes juxta ordinem ante recensitum concurrere necessum est, sic ut nulla earum absque cæteris efficax sit, sive obsignatio ac depositio fiat non præmissâ oblatione l. 2. C. de Usur. sive oblatione factâ, non sequatur obsignatio ac depositio. l. 1. §. ult. ff. de Usur. l. 9. l. 19. C. eod. l. 10. C. de pignor. act.

C A P U T S E C U N D U M.

De Requisite.

NE tamen debitores ad remedium depositionis adversus Creditores, acceptionem pecuniæ debitæ renuentes, tanquam ad asylum moræ purgandæ, ne ulteriori usurarum præstatione graventur, nec de liberatione periclitentur, minùs feliciter confugiant, (quod usu venire solet, si requisita depositi neglexerint,) hæc sequentia depositionis Legitimæ *Requisita*, qualia numerò *septem* in jure nostro suppeditari videntur, confer *prac. c. 1. §. 4. in fin.* à debitoribus observari tutissimum est.

§. I.

Ac PRIMUM quidem *requisitum* in Oblatione pecuniæ debitæ reali consistit. l. 9. C. de solut. in verb. Sed ita demum oblatio debiti liberationem parit. & l. 19. in pr. ibi: *acceptam mutuò sortem offeras &c.* Neque enim sola deponendi destinatio s. voluntas sufficit per l. 2. C. de Usur. ubi Goth. in not. lit. C. Quinimò ne vel, si debitor se paratum esse solvere testatò dicat, per L. qui Roma 122. pr. ff.

pr. ff. de V. O. cùm hæc nuda vocetur, oblatio, ac verbalis, de qua supr. in cap. 1. §. 2. monitum, vid. Negus. de pignor. part. 5. princ. membri 3. part. 2. n. 1. & 2. quoniam, qui ita dicit, revera nihil obtulit. L. cum Servus. 82. ff. de condit. & demonstr. L. Julianus 13. §. offerri 8. ff. de act. emt.

§. II.

Oblatio enim, ut solenniter justèque facta dici possit, ante omnia requirit, ut res debita, si sit mobilis, repræsentetur Creditori, id est, coràm in conspectu ejus exponatur, hortante eum debitore ut accipiat. d. l. 82. ibi, nam non utique. arg. Auth. dos data. C. de donat. ante nupt. Quæ quidem repræsentatio usque adeò hìc necessaria est, ut absque eâ ne vel omninò quidem, nedum ritè oblatio facta, dici possit: Cùm offerre rem, sit obviam illam & qf. in occursum alteri ferre: & si certa quantitas sit, quæ debetur, eam etiam appensam, admensam, adnumeratamvè juxta modum debiti offerri oportebit, per d. l. 82. L. si Creditrici 6. d. l. acceptam 19. C. de Usur. L. qui decem 72. pr. ff. de solut. L. ult. C. debit. vendit. pign. imped. non poss. l. ult. C. de luit. pign. add. Dn. Struv. ad ff. Ex. 27. hb. 67. in fin.

§. III.

Non inelegans igitur quæstio est: Numquid Verbalis Oblatio planè nihil operetur? Quod in re mobili, & quantitate certa facile largior: Secus atque in rebus immobilibus & incorporalibus, æquè ac debitis quantitatibus adhuc incertis. de quibus vid. & infr. Cap. 4. §. 1. 2. & 4. h.

§. IV.

SECUNDÒ requiritur, ut totum ac integrale debitum, fors nempe cum usuris offeratur. d. l. 9. ibi: totius. C. de solut. d. l. si Creditrici 6. ibi: pecuniam debitam cum usuris. d. l. 19. ibi: acceptam mutuò sortem cum usuris. C. de Usur. l. ult. ibi: universum tam sortis, quam Usurarum &c. C. debit. vend. pign. imped. non poss. aliisque juris textt. Sicuti enim solutione partis ejus debiti, quod ex eadem causa debetur, Creditore eam accipere recusante, debitor nihil agit, ita etiam ejusdem oblatione: tum per dd. textt. & imprimis d. l. 9. d. l. 6. & d. l. 19. tum per evidentem hanc rationem,

nem ; quòd Creditor *justas recusanda* partis oblatæ causas habere intelligendus sit : Quarum *unam* nempè in eo sitam puto , quòd debitor partem offerens non eâ quidem ratione , prout debuit , offerat ac solvere velit : Ab initio namque sic contracta esse obligatio , ut debitor de *toto* semel teneretur , existimari debet. *L. qui Romæ 122. in pr. ff. de V. O. L. qui decem 72. in pr. ff. de solut. Ideòque , cùm naturæ ratio exigat , ut eòdem modò , quò quid contractum est , dissolvatur L. nihil tam naturale 35. ff. de R. F. Debitor secundum ipsam quoque Obligationis formam totum offerre & solvere adstringitur. Alteram recusandi causam* arbitror eam esse , quòd partis nempè solutio ut plurimùm damnosa sit , teste Jcto *in l. 3. ff. famil. ercisc. Damno verò Creditorem sine suo factò affici , iniquissimum foret , Schneidw. ad §. item. Inst. quib. mod. toll. Oblig. Wes. in parat. ad ff. si cert. petat. n. 12. Hinc consequitur necessariò , debitorem Creditori invito non rectè partem debiti offerre , nec , ut eam accipiat , Creditorem cogere posse.*

§. V.

Sunt tamen *Casus aliquot excepti* : Primus est , si contrahentes ab initio de particulari oblatione vel solutione convenerint ; tunc quippe sicuti vera partis solutio liberaret in *illâ* parte , ita etiam depositio facta in certa parte liberaret pro ea tantùm partè , nec totum simul offerre obligatur *per l. tutor. 41. §. Lucius 1. ff. de usur. ibique Goth. in not. lit. F. Sich. ad L. Obfignatione totius 9. C. de solut. & liberat. n. 9. pag. m. 1134. col. 2.*

§. VI.

Secundus Casus est , si qua debiti pars non esset liquida : tunc namque deponenti idipsum saltem , quod liquidum est , deponere , seque impòsterum quoad reliquam illiquidi causam judicio offerre liberum autumo *L. quidam existimaverunt. 21. ff. si cert. petat.* E. g. si debitor , Creditore *decem* petente , nonnisi *quinque* se debere confessus sit ; Creditor *quinque* accipere cogitur , & reliqua , quæ nec liquida , nec probata sunt , in judicio persequi. Ex quo etiam , si debitor , creditore *decem* petente , partem debiti , *v. c. quinque* , fateatur , & in continenti probet , Creditorem sibi vicissim *quinque* debere , ipsò jure compensatio in *quinque*

que fit, quoniam pecunia, quæ invicem debetur, liquida est; quamvis de reliquo Creditorem iudicium accipere oporteat, l. 4. C. de Compens. junct. l. fin. §. 1. C. cod. l. 1. C. si mulier secundo nups. add. Sich. loc. cit.

§. VII.

Tertius Casus est in l. cum heres 4. §. item 6. ff. de Stat. lib. ubi, servus liber esse sub conditione, si decem dederit, iussus est; Ac placet, heredem per partes accipere cogendum quod conditionis implendæ causa præstatur; favore libertatis.

§. VIII.

Quartus Casus est in L. placuit 4. C. de Collat. fund. patrimon. lib. 11. ubi, particularim solvi vel offerri pensiones publicas annuas sufficit. Quod specialiter ita constitutum esse videtur, vel quòd certa pensionum tempora non sint, (ut Cujac. ad d. l. placuit: opinatur) vel sublevandorum possessorem, qui publicis pensionibus onerantur, gratiâ; vel Reip. etiam causâ, quòd fiscus suum facilius consequatur, cum plures particulas separatim expedire, quàm totam debitæ pensionis summam repræsentare, longè facilius sit.

§. IX.

Quintus Casus est, si promissa sit solutio duobus in locis, Ephesi putà & Capuæ. l. 2. §. si quis ita. 4. ff. de eo, quod cert. loc. rectè enim hòc casu particularis Solutio vel Oblatio admittitur, dummodò altera pars Ephesi, altera Capuæ offeratur, non alibi.

§. X.

Sequitur TERTIUM requisitum: ut oblatio videlicet opportunò locò & tempore fiat L. si soluturus. 39. verb. si in opportuno tempore vel loco. ff. de solut. L. Obfignatione 9. vers. sed ita demum oblatio debiti liberationem parit, si eò locò, quò debetur, solutio fuerit celebrata. C. cod. L. Celsus. 23. §. 1. ff. de arbitr. l. pen. ff. quod certo loco. L. qui Romæ. 122. in pr. ff. de V. O. Ex quo patet, eum, qui pecuniam Duisburgi solvere promisit, si Tremonix eam offerat, nihil agere, nec periculo Creditoris esse pecuniam. d. l. qui Romæ. 122. in pr.

§. XI. Op-

§. XI.

Opportunum autem locum eum dico, qui solutioni scil. destinatus est *l. 32. ff. de Usur.* sicut è contra *inopportunus* erit quivis præter eum locus alius *L. si soluturus. 39. ff. de solut.* neque de Urbe solùm totâ, territorioè accipi potest, sed & de loco in illis omni, à commerciis alieno; velut in templo inter sacra, in via publica inter funus *arg. l. 2. ff. de jus voc.* Ideò offerens extra illum locum solutioni destinatum, aut tempore incongruò, ut nocte, deinde Obsignans ac deponens, nihil operaretur *per gloss. in d. l. 39.* Petr. Greg. Thol. *in Synt. jur. univ. lib. 26. cap. 23. n. 3.* Sic etiam, si debitor in nemore inter eundem sibi à latronibus infidias strui sentiens, Creditori suo comiti debitum, quod aliàs periturum putat, offerret; talis oblatio, incongruò locò facta, non proficeret offerenti; Cujus rei exemplum Sichardus *ad Cod. in l. 9. de solut. n. 10.* suâ ætate contigisse refert in duobus Mercatoribus ex mercatu Francofurtensi unâ domum redeuntibus, quorum alter alteri debuisset 200. flor. Sed, quia illa oblatio non fuerat facta locò congruò, nihil operabatur, ut periculum adeò debitorem sequeretur.

§. XII.

Non proderit ergò debitori ad constituendum in mora Creditorem, præsentem ei paratam obtulisse pecuniam, vel constitutò etiam tempore, nisi & *eo ipso in loco, ubi solutio fieri debet* (is enim est, *quò debetur, ex d. l. 9. C. de solut.*) obtulerit. Nam cùm locò inopportuno Creditor solutionem admittere non teneatur *l. 2. §. 7. l. 9. ff. de eo qu. cert. loc.* palàm est, eum nec recusando moram committere; cùm moram facere dici nequeat, cui ad recusandum justa causa suppetit; nec dolo faciat, qui jure suo utitur. *l. 55. ff. de R. J.*

§. XIII.

Quinimò omni præterea effectu destituitur oblatio pecuniæ ante diem, in favorem Creditoris nominatim solutioni adjectum, facta: sive ex Testamento, sive ex Contractu, aut alia ex causa justa debeatur; expectandus namque dies est, ne jus Creditoris minuatur. Ant. Fab. *in Cod. lib. 8. tit. 29. def. 14. per L. eum, qui. 15. ff.*

15. ff. de ann. leg. L. si ita relictum. 43. §. Pegasus. 2. ff. de leg. 2. l. 3. §. cum Pollidius 3. ff. de Usur. Secus, si debitoris gratiâ dies solutionis (uti in dubio præsumitur L. cum tempus 17. ff. de R. J. L. quod certâ die. 70. ff. de solut.) adjectus comprobetur, L. stipulatio ista 38. §. inter. 16. L. continuus. 137. §. cum ita. 2. L. eum, qui Calendis. 41. §. 1. & 2. ff. de V. O. tunc enim debitori medium tempus ad solvendum liberum relinquitur, per d. l. 70. ff. de solut. & sic ab eodem ante diem rectè fit oblatio, quæ operatur non tantum, ut pecunia incipiat esse periculo Creditoris, sed etiam, si oblationem sequatur obsignatio & pecuniæ obsignatæ depositio, ut liberetur à præstatione usurarum.

§. XIV.

Hisce præmissis, inquit gloss. in d. l. 9. C. de solut. lit. E. verb. loco. Quid juris futurum esset? si non ipse debitor, sed alius ejus nomine offerret deponeretque pecuniam (sine mandato, puta: quia aliàs non esset dubium, cum quæ per alios facimus, nos ipsos fecisse credendum sit, per vulg. add. expr. L. qui mandat. 56. ff. de solut.) AN per illam scil: depositionem, ab alio absque mandato factam, liberetur debitor? Et quamvis initiò titubare videatur, paulò post tamen affirmativè respondet, allegando L. solvendo. 39. ff. de negot. gest. ubi pro absente quis, vel ignorante, imò etiam invitò solvere, & liberari dicitur debitor, add. text. in pr. l. quib. mod. toll. oblig. Et text. sing. in L. cum 38. §. 1. in fin. ff. de solut. Nam ipsò pro me solutionis actu negotium meum gessisse censetur, ita, ut me liberet ab obligatione, sibi que negotiorum gestorum actionem paret. Vid. Sich. ad Cod. in suprad. l. 9. de solut. num. fin.

§. XV.

QUARTÒ, ut Oblatio Crediti in moneta promissa ac debita fiat necessum est. d. l. Ob signatione 9. verb. debita pecunia. C. de solut. L. Creditor. 20. ibi: quod vos debere confiditis. C. de pignor. Nequicquam itaque juvabit debitorem oblatio crediti in thaleris, si promissâ fuerit solutio in aureis: vel, si pecuniam ærosam vilioris æstimationis & valoris offerat, quàm ipsemet mutuò acceperit; tùm, quia omne promissum cadit in debitum, tùm, quia

B

standum

standum est contrahentium conventis, nec aliâ in monetâ, quàm quæ promissa est, Creditor solutionem acceptare tenetur, arg. *L. si is, cui. 94. §. fin. a. communes. 1. ff. de solut. L. sed et si non. 10. ff. de accept. L. si pecunia. 19. §. si putem. 3. ff. de Cond. indeb. Conf. l. 99. de solut.*

§. XVI.

Solutio quippe Crediti secundum valorem bonitatemque intrinsecam, pariter & extrinsecam, qualis fuit tempore contractûs, fieri debet; cùm, quod deterius solvitur, non solum videatur, per *l. 1. §. si res. 16. ff. de pos. & l. 3. §. 1. ff. Commod. Guid. Papæ Decis. 493.* Quare nec oblatio pecuniæ aliâ in monetâ, vel secundum aliam bonitatem, aliumque valorem admittenda, si effectum solutionis operari debeat, *d. l. 9. C. de solut.*

§. XVII.

Cum unanimis ferè DDrum in eo consensus sit, quòd valor monetæ, sive accreverit, sive decreverit, quòcunque etiam modo ac ratione, sive intrinsecæ sive extrinsecæ bonitatis intuitu, semper considerandus inspiciendusque sit à tempore contractûs, (*ut modo præced. §. 16. dictum*) non verò à tempore solutionis; ac secundum istius contractûs temporis bonitatem, pondus & valorem, ex solutio monetæ, ac restitutio crediti facienda veniat. Vid. Carpz. *lib. 5. R. 93. Tit. de solut. 9. n. 14. cum ibid. ad longum alleg. remiss.* incidenter jam nunc, extra casum tamen Legitimæ depositionis, Quæritur: *Utrum Creditor an debitor aucti commodum, & minuti valoris incommodum jure sentiat?* Ac mihi quidem distinguendum videtur inter mutatam intrinsecam, & inter extrinsecam monetæ bonitatem; *Illâ, intrinsecâ sc. bonitate mutatâ, quæ in materia (Germ: Korn / oder gehalt) & pondere (Schrot / oder gewicht) consistit l. 1. ff. de contrah. emt. (ubi quantitas pro debito pondere accipitur, add. text. in c. quarto. 18. extr. de jurejur. Coler. d. process. exec. part. 1. cap. 10. n. 8.) L. 1. C. de vet. numismat. pot. lib. 11. (ubi per speciem qualitas, id est, materia intelligitur. Goth. ibid. in not. lit. O.) Struv. ad ff. Exerc. 16. th. 29. Wan nemlich Schrot und Korn an der Münze verändert wird: solutio juxta rationem antiquæ monetæ, qualis fuit tempore contractûs, ita est facienda,*

facienda, ut commodum pariter & incommodum sit debitoris: ex quo, auctâ monetâ, debitor additamentum detrahere, eâdem verò deminutâ, defectum supplere tenetur: ob sequentes nim: *Juris natura & Civilis regulas, quòd nemo cum jactura alterius locupletior fieri, l. 206. ff. de R. J. &, ejus sit commodum, ejus quoq; incommodum esse debeat. l. 10. ff. de R. J.*

Hâc vero i.e. extrinsecâ bonitate mutatâ, quæ nempè in Valore consistit (salvâ tamen intrinsecâ, quia solus valor sine materia bonitate & legitimo pondere substantiam pecunie haud constituit. Coler. de process. exec. part. 1. cap. 10. n. 8.) Distinguendum denuò fuerit: An certa moneta species simpliciter & absque æstimatione mutuò data sit, v.g. 30. floreni in specie, sine ulla mentione pretii singulorum florenorum, stück vor stück: An valor pecunie appositus sit taxativè, e.g. Ich leihe dir 100. Reichst: an Ducatonen / die Ducaton ad 1. R. 15. st.

Priori modò, ubi certa monetæ species simpliciter & inæstimatione data, Thaleri aliæque monetarum species nec pluris nec minoris æstimantur, quàm juxta valorem tempore contractûs usitatum, ita, ut hõc casu Creditoris sit damnum & lucrum; Nec attenditur auctus vel imminutus valor, juxta tradita Struv. ad ff. Exerc. 16. th. 34. Atque ita intelligendus est Gail. 2. Obs. 73. n. 9. & Carpz. lib. 5. Res. 93. tit. 9. de solut. n. 10. & II. & part. 2. Const. 28. def. 5. Non obst. l. 206. ff. de R. J. quia in dubio contra eum est facienda interpretatio, qui legem Contractui, cum potuisset, apertius non dedit: l. 39. ff. de pact. & damnum non est, quod quis suâ culpâ sentit, l. 203. ff. de R. J.

Cæterùm hîc obiter notandum, quòd verb. in specie, seu species, non semper intelligatur de moneta majore & antiqua, s. dura, sed etiam resp. minoris monetæ (e.g. florenorum &c.) & tum corpora quælibet intelliguntur, stück vor stück: in Obligationibus igitur, si antiqua majorve moneta, alt oder grob geld / reddi debeat, solet cautè apponi Clausula, an grober Reichsmünze / oder hartem gelde: Promittimus centum thaleros in speciebus & in dura moneta reddi, id est, Wir geloben die 100. Reichsth: in speciebus und an hartem gelde (oder /

grober Reichsmünze) wieder zu geben. Conf. Berlich. 2. conclus. 36. n. 54. vers. omnes autem. Wehn. Obs. Pract. voc. Goldgülden vers. ut enim decrescente valore in pr. & voc. Grobe Reichsmünze in pr.

Sed quid, si tempore solutionis hōc casu non reperiantur eadem species, quæ credita fuere? Et Siquidem illæ species amplius non existant, aut à debitore præstari nequeant, rectè solvi aliam monetam creditis nummis etiam in bonitate intrinseca, quæ fuit tempore contractūs, convenientem & æquivalentem, juri consonum esse arbitror cum Exc. D. Struv. ad ff. Exerc. 16. th. 35. ibiq; alleg. Gail. 2. Obs. 73. n. 6. & Myns. 4. Obs. 1. n. 6. & 7. (ubi idem valet, si difficulter eadem species haberi possunt) add. Wehn. in Observ. Pract. d. voc. Goldgülden. vers. ut enim crescente &c.

Posteriori modò, si valor adjectus & species æstimatò data fuerit, subdistingendum autumo: AN expresse pactum ratione commodi vel incommodi simul intervenerit; AN minus. ILLO casu, si ex obligationis tenore, qui diligenter attendendus, certò appareat tale pactum adesse eòque fine & lege ita inter me & te convenisse constet, ut commodum vel incommodum ad te pertineat, conventio servabitur, & tu crescente monetâ, quod decrevit, supplebis; prout etiam è contra, si pepigerimus, ut commodum vel incommodum ad me spectet, non obstante, quod thaleri in eadem æstimatione restitui debeant, nihilominus thaleros in eòdem mihi numero reddere cogèris, etiam si postea thaleri vel aucti vel diminuti fuerint. per text. expr. in l. si inter virum & uxorem. 21. C. de jur. dot. docente Berlich. 2. conclus. 36. n. 52. Conf. infr. §. sed queritur. 8. seq. cap. 3. vers. illo.

HOC verò casu, si ejusmodi pactum ratione commodi vel incommodi expresse non adsit, seu certò non appareat ex dicto obligationis tenore, tunc, non obstante, quòd in conventionem dictum sit, centum thaleros in eodem numero restituendos, cum tamen expressis verbis æstimationis mentio fiat, thaleros adhuc secundum æstimationem conventam restitui sufficiet; usque adeò, si thalerus crescat, vel decrescat, commodum vel incommodum ad debitorem pertinebit, id est, si valor thaleri, aliavè monetæ
accreve-

accreverit, debitor deducere valorem vel incrementum, quod veteri æstimationi intra tempus solutionis accessit, poterit: Sin verò quantitas monetæ intra tempus solutionis decreverit, valorque diminutus sit, debitor supplere valorem, tempore contracti debiti currentem atque usualem tenebitur: *tum* per supradictam rationem, quòd in dubio contra eum fit facienda interpretatio, qui legem, cùm potuisset, contractui apertius non dixit per *L. Veteribus. 39. ff. de pact.* Guid. Pap. in *Decis. quest. 55. n. 1. in fin.* Videtur autem plerumque in causa mutui magis interesse mutuum accipientis (utpote qui potius egeat) quàm mutuò dantis; *tum*, quod creditor, qui thaleros aliasvè species æstimavit, &, ut sibi in, vel sub eadem æstimatione reddantur, stipulatus fuit, id omninò eò fine fecisse intelligitur, ne, si fortè species mutuò datæ decrescant, damnum ipse patiatur; naturalis igitur æquitas etiam postulat, si fortè thaleri s. dictæ species crescant, ut is nec lucrum inde aliquod percipiat per *l. 10. ff. de R. J. Berl. d. conclus. 36. n. 53.* Ut solutio adeò hæc regulariter non in speciebus & duris thaleris, sed de nova moneta proportionaliter ad æstimationem antiquæ, ne utròque casu alteruter contrahentium plus minusve quàm datum acceptumvè sit, reddat vel recipiat, confieri debeat, per *c. olim causam. 20. junct. c. cum Canonicis. 26. extr. de Censib.* Non obstante hæc conventionem, *ut totidem thaleri in eadem æstimatione restituantur*: Subintelligi namque oportet: *rebus ita stantibus*: si valor nempè monetæ mutatus haud fuerit; cùm contrahentes de commodo vel incommodo inter se expressè non convenerint, ideòque de futurà valoris mutatione utrinque eos cogitasse non præsumatur. *Berlich. d. conclus. 36. num. 54.* Et ita hòc ultimò casu accipiendus est *Mynsing. 4. Obs. 1. & Struv. ad ff. Exerc. 16. th. 31. cum Dd. ibique alleg. add. l. 10. l. 203. & l. 206. ff. de R. J.*

Ultimo denique loco hìc notandum, quòd eam ob causam species etiam s. certum pecuniæ genus plerumque à Creditore æstimatò detur, ut, si fortè illud monetæ genus non amplius in rerum natura esse contingat, sciri possit, quantum præstari aut solvi à debitore debeat, cum & aliàs debitoribus posteriori hòc

modò regulariter, *uti ibid. preced. vers. Hoc vero casu. dictum* ; æstimationem in contractu expressam in aliis nummis probis præstare regulariter licitum sit. *Struv. d. Exerc. 16. thes. 34. cum ibid. allegg.*

§. XVIII.

QUINTUM veræ ac justæ Depositionis *Requisitum est*, quòd creditor absque justa & sufficiente causa solutionem acceptare renuerit; recusatio quippe, absque causa scil. & ratione probabili, justam efficit depositionem: Quid enim, si debitor *verbaliter* saltem, *partemvè tantùm crediti*, vel *non in loco aut tempore opportuno*, aut *non in debito moneta genere* offerret? Justam utique tum causam recusandæ solutionis Creditor habet, ideòque eam impunè, ac sine ullo periculo, rei que amittendæ metu repudiare valet. *L. qui Romæ. 122. pr. ff. de V. O. L. qui decem. 72. in pr. ff. de solut.*

§. XIX.

Atque ea etiam causa est, cur DDres quidam pro indubitato Oblationis requisito censere non dubitaverint: *Ut pecunia offeratur testatò*, i. e. testibus præsentibus, *per text. in L. si Creditrici. 6. L. acceptam. 19. C. de Usur. L. 1. C. de susceptorib. præpos. & arcaris. lib. 10.* hunc scilicet in finem, ut debitor à Creditore conventus probare, pecuniam esse oblatam quidem, sed non acceptatam, possit, *l. 2. ff. de probat.* Verùm ad factæ id recusationis probationem potius, quàm ad justæ legitimæque depositionis essentiam referri oportet; Ut nec ipsa depositi requisita veriùs ingrediatur. At enim verò, quid si *creditor recusationem non diffiteretur*, vel ea aliundè ex scripto Creditoris, vel testimonio judiciali comprobari queat? Hoc sanè casu *non opus esse testibus*, propius putem: ut necessarium adèò oblationis vel depositionis requisitum in eo ponere supervacaneum sit.

§. XX.

SEXTÒ requiritur *oblati debiti obsignatio judicialis*, idque VEL in præsentia Creditoris, ad citationem comparentis, facta, *d. l. 9. ibi: Obsignatione totius debite pecunie solenniter facta &c. C. de solut. d. l. Creditrici 6. ibi: eaque non accipiente, obsignatam eam deposuisti &c.*

si &c. d. l. acceptam. 19. ibi: Consignatam in publico deponere &c. C. de Usur. VEL eò etiam plane latitante, vid. Clar. Dn. Struv. ad ff. Ex. 47. th. 79. n. 3. Conf. Neguf. in tract. de pign. & hypoth. part. princ. 5. membri 3. part. 2. n. 27. Sed cum singuli interim nummi recte vix obfignari valeant, crumenæ immitti solent, vel sacculo, ci- stæve, quæ pòst cum ipsa pecuniâ, signatorum (testiumve, juxta Goth. in l. 39. ff. de solut. lit. C. & l. 6. C. de Usur. si qui adfue- rint) signis obfignatur, l. 1. §. si pecunia. 36. ff. depos. l. fin. ff. de Leg. Commissor. Cæterum hæc obfignatio tam Creditorem, quàm Debitorem facit securum; Atque illum quidem, ne pecunia ei facile pereat, aut si fortè surrepta fuerit, contra depositarium experiri eo nomine possit, d. l. acceptam 19. C. de Usur. Hunc, verò, ut sacculo per Creditorem resignato, congruam ipse sum- mam sacculo impositam, totumque ita debitum exsolutum esse videat, d. l. 19. d. l. 9. Ant. Fab. in Cod. lib. 8. tit. 30. def. 6. defin. 53. & defin. 54. n. 5.

§. XXI.

Verum etenim verò, ut justa sit pecuniæ obfignatio, sequen- tia quatuor probè observanda fuerint (1.) ut citetur Creditor ad videndum deponi; cum enim præsentem Creditorem, ceu parte adversâ, obfignatio fieri debeat, necesse utique est, ipsi hoc in- timari, eumque ad actum depositionis citari. Vid. Ant. Neguf. in tract. de pignor. part. 5. memb. 3. p. 2. (2.) Ut obfignatio (cei paulò antè monui) sit judicialis; ob majorem nempe rei gestæ fidem, quæ in extrajudiciali alicujus privati actu non ita militat. (3.) Ut Pecunia numeretur: Neque enim valitura obfignatio est, si nec numerata, nec ostensa pecunia, sed in sacculo tantum aut folle, quod ajunt, deposita fuerit, d. l. 9. & d. l. 19. Ant. Fab. de defin. 54. num. 5. (4.) Ut ipso tandem actu obfignetur: Conf. Struv. cit. Exerc. 47. th. 79. sub nn. 1. 2. & 3.

§. XXII.

ULTIMUM ac SEPTIMUM omnimodæ liberationis requisitum est ipsa pecunia numerata Obfignataq; depositio: quam solenniter, & in loco publico, i. e. in ædibus sacris, (iùm, quòd illæ à ma- leficis tutiores sint; iùm quòd apud veteres illarum pecunia- rum

rum, juxtà ac rerum sacrarum, custodia ad munus æditui pertinebat) seu in iudicio deponi oportet, vel ubi competens iudex (qui à debitoris foro æstimabitur, Bald. in d. l. acceptam. 19. Alex. Conf. 103. n. 4. vol. 5.) ea de re aditus, pecuniam deponi iusserit. d. l. acceptam. 19. verb. in publico deponere &c. Cod. de Usur.

§. XXIII.

Etsi verò hodiè apud quemcunque iudicem, vel privatum etiam hominem, fieri depositio consueverit, arg. l. semper in stipulationibus. 34. ff. de R. J. Tutiùs tamen est, ut iudicis competentis iussu & mandatò (s. Iudicis auctoritate, juxt. Alex. in prealleg. loc.) pecunia deponatur. l. fin. ff. de Leg. Commissor. L. si stipulatus. 81. §. si lancem. 1. ff. de solut. L. ait prator. 7. §. sed etsi. 2. vers. permittitur. ff. de minor. l. 5. §. 2. ff. de pos. Bald. in d. l. acceptam. n. 20. vers. decimò quero. C. de Usur. Quò ipsò quoque in locò, propter auctoritatem Iudicis, Publicè custodiri pecuniæ censebantur; Isque ita designatus Publicus appellatur. d. l. 19. ibi: in hoc autem.

CAPUT TERTIUM.

De solennis Depositionis effectibus, cum quoad Debitorem, tum quoad Creditorem.

Requisita justæ depositionis jam recensita, probè observata, tribuunt Debitori plenam securitatem, ac si debitum realiter exsolutum fuisset; è contra unò vel alterò horum requisitorum omissò, depositum pro legitimo non habetur, nec liberationis effectum operari potest, d. l. ob signatione. 9. C. de solut. L. acceptam. 19. C. de Usur. Ordo ulteriùs nunc exposcit, ut insignes hujus veri legitimi que depositi effectus, tam quoad ipsum Debitorem, quàm Creditorem, perlustremus.

§. I.

Ac primò quidem quod ad effectum Debitori proficuum attinet, is non ineleganter triplex dicitur. Principaliorem verò inter cæteros eum puto, quod plenaria inde obligationis liberatio ipsi contingat,

contingat, *L. Obsignatione. 9.* & cursus usurarum inhibēatur, *d. l. acceptam. 19.* sive ex stipulatione, sive in bonæ fidei judiciis, ex mora vel pacto debeantur usuræ, per *L. evictis. 18. §. 1. C. de Usur. l. 1. §. ult. ff. eod. L. tutor pro pupillo 28. §. 1. ff. de administ. tutor.* Sola quippe oblatio ad hoc non sufficit, sed ultra eam consignatio & depositio requiritur; & hōc modō liberatio competit & cursus usurarum impeditur per *d. l. acceptam.* Ant. Negus. in tract. de pignor. 3. part. membr. 3. 5. part. princ. cum ibid. alleg.

§. II.

Secundus effectus ad debitorem pertinens, est, quod, legitimā pecuniæ creditæ depositione factā, debitor non tantum de sorte, & accessionibus, usuris putā, conveniri amplius nequeat, sed quod pignorum quoque ac fidejussorum obligatio omninō tollatur, *L. si priusquam 8. Cod. de distract. pign. l. ult. C. de luit. pign. L. Creditor. 20. C. de pign. l. 2. C. debitor pign. vendit. imped. non poss. d. l. acceptam.* Undē debitor post pecuniæ oblatæ & obsignatæ depositionem, rectē intendit pignoratitiam actionem, ad reddenda ea, quæ creditor pignori acceperat, *d. l. ult. C. de luit. pign.*

§. III.

Tertius effectus est, quod, post pecuniæ oblatæ & obsignatæ depositionem, ea incipiat esse periculo Creditoris, *L. qui decem. 72. ff. de solut. d. l. acceptam.* Non obst. *inf. §. 9. vers. dominium enim jure civili &c.* quod etiam post obsignationem debitor pecuniæ dominus, cui sua nempe res perit, maneat. *arg. L. si quis vi. 17. §. differentia. ff. de acquir. vel amitt. poss. & d. l. acceptam. coll. L. pignus. 9. C. de pignorat. act.* Nam hoc perpetuum non est: cum non ipsi tantum domino, sed & alii pereat. Harpr. ad §. 3. *l. de empte. & vend. n. 16. & 17.* Ita periculum rei venditæ ad emptorem pertinere dicitur in *l. 1. C. de peric. & commod. rei vendit. quamvis ei res nondum tradita, i. e. dominium in eum translatum sit, d. §. cum autem. 3. l. de empte. & vendit. tot. tit. ff. & C. de peric. & commod. rei vend. quod non nudō pacto, sed traditione in emptorem transfertur, §. per traditionem. 40. l. de R. D.*

C

§. IV. Nec

§. I V.

Nec moratur: quòd solâ oblatione, res oblata p̄riculo creditoris existat: quanquam enim eò nihil veriùs est, *L. qui decem* 72. *in pr. ff. de solut. L. interdum.* 73. *§. fin. L. stipulatus.* 105. *ff. de V. O. Vid. cap. 4. §. 4. & 5. infr. h.* hæc tamen inter se non pugnant; Sed potiùs ex comparatione Oblationis & Obsignationis solenniter factæ effectus obsignationis potior atque & illustrior fit: Si namque meræ s. solius *Oblationis* hic effectus est, ut res incipiat esse periculo creditoris, *Vid. Cl. D. Struv. ad ff. Exerc. 47. th. 79. in pr.* quantò magis solennis *Obsignationis*, quæ adjunctam oblationi depositionem habet; Nam ut *Aristot. ait, si quod minus videtur inesse, inest & quod magis.* Sola ergò Oblatio quoad hunc effectum idem operatur, quod solennis obsignatio; quoad alios verò effectus, nempe ut pignus vel obligatio fidejussorum tollatur, aut usuræ desinant deberi, non sufficit sola oblatio, sed necesse est, ut oblationem sequatur obsignatæ pecuniæ depositio, *d. l. acceptam. 19. C. de Usur. L. Obsignatione. 9. C. de solut.* Si tamen res oblata pereat absque culpa debitoris, quin ex eo tempore cessare usurarum præstatio debeat, atque obligatio pignoris & fidejussorum tollatur, nullus dubito: Sublatâ enim principali obligatione tollitur & accessoria, *L. cum principalis. 178. ff. de R. J. c. accessorium 42. de R. J. in 6. add. infr. cap. 4. §. 8.*

§. V.

At, cum *supr. §. 1. cum seqq. hujus cap.*, debitorem obligatione per depositionem solennem liberari & petitioni actoris eximi, dictum sit: Quæri non inutiliter solet: *AN ipsò scil. jure id, AN per exceptionem verò intelligi debeat?* Atque equidem sanè, tametsi inter hæc duo parum interesse videatur *l. 112. ff. de R. J. Vid. Goth. ad l. 6. ff. de dol. mal. except. lit. F.* omiſſis aliorum divinationibus, in posteriorem inclino sententiam. Cùm enim, sicut antè *in §. 3. h.* demonstravimus, proprietates pecuniæ à debitore necdum recesserit; petendæ autem auferendæque ejus potestas haud ei minus quàm Creditori libera relicta, atque ob id solutio ipsa revocabilis sit; vix vero esse simile apparet, legem absolutè atque ipsò jure liberatum ab obligatione debitorem voluisse,

luisse, cum illam interea quasi - solutionem, cuius virtute liberatio contingit, ipsam esse suspensam siverit. *l. 38. §. 1. ff. de solut.* Neque verò tam facilè intelligi potest, obligationes actionesque legitimas, semel extinctas, spontè reviviscere, proque unius debitoris nutu iterum iterumque periri ac renasci (quod in jure parùm à monstro abesse videtur) quàm facilè pecunia deponitur ac tollitur: Contrà facillimè omninò à prætorè, poscentibus reis, Exceptiones, Replicationesque, pro re natà, casibusque incidentibus, accommodari animadvertuntur *pr. Inst. de Except. & Repl.* Quinimò etiamsi vel in casu, quo debitor pecuniam depositam repetere posse desierit, liberationem adhuc non ipsò priùs jure contingere existimarem, quàm nummi aut absque culpa debitoris perierint, aut ad creditorem pervenerint. *arg. d. l. 38. §. 1. ff. de solut.* (ubi hæc sola liberationis, ipso jure non factæ, ratio redditur: quòd nummi in specie ibi proposità, ejus esse non desierint.) Æqui boni tamen analogiæ convenientius arbitror, Creditorem strictò quidem jure debitum adhuc pristinà actione sua petere posse; At cum effectu nihilominus, propter obstantem sibi vel doli mali *arg. l. 4 §. 4. ff. de dol. mal. except.* vel factæ solutionis exceptionem, removeri; quæ tamen hòc casu, non, ut aliàs in solutione vera, facti sive intentionis (ut vocant) exceptio, sed juris, futura est: quia, cum ficta hæc & revocabilis solutio sit, jus actoris non penitus tollit, sed solà æquitatis ratione excludit. *pr. Inst. qui. mod. toll. obl. junct. pr. Inst. de Except. l. 12. ff. de dol. mal. except.* Ut ferè in quotidianis juris fictionibus, iisque quæ à jure Civili recedunt, usu venire consuevit. Exemplum vide sis in §. 5. *Inst. de Except. junct. l. 207. ff. de R. J.* Quod si receperit depositum debitor, etsi hòc casu longè dictu faciliùs sit, Exceptionem debitoris, quàm *priori*, actionem creditoris extinguere; At rectiùs tamen etiam hìc Replicationem doli in factum ipsimet Creditori, ob retractatam solutionem, accommodari crediderim, *arg. pr. Inst. de Repl. ibi: namque nihilominus.*

§. VI.

Usuras autem quod concernit, earum hætenus cursum ipsò quidem jure sufflaminari putem. *l. 122. §. 5. in fin. verb. jure. ff. de*

V. O. junct. l. 6. ibi: sed ratio. ff. de serv. export. Cùm exceptione saltèm tutum contra fortis petitionem debitorem esse, ut usuræ ipsò jure non committantur, sufficiat, l. 40. ibi: etsi ut ille. ff. de reb. cred. Eòdem ferè modò pignora quoque solvi, atque imprimis Hypothecariam actionem tolli arbitror, quippe quæ non tantùm solutâ pecuniâ, sed & si per Creditorem steterit, quò minus solvatur, deficit, l. 19. verb. cum Serviana. C. de Usur.

§. VII.

Cæterùm, quod *supr. §. 3. h.* post pecuniæ oblatae & obsignatae depositionem, eam in periculo esse Creditoris incipere monuimus, id non modò de ipsius pecuniæ interitu, sed & de damno insuper ex reprobatione atque immutatione bonitatis & valoris monetæ, accipiendum est: si factâ nim. legitimâ pecuniæ creditæ depositione, moneta deposita (interea, dum depositio illa est facta) reprobata fuerit, ejusve valor decreverit, hoc omne damnum creditori cedit, qui, monetâ depositâ, contentus esse debet, nec quicquam pro decremento bonitatis à debitore ulterius exigere valet; Cùm hòc modò dominium monetæ, saltem fictè, in creditorem translatum censeatur: ex quo commodum, annexò incommodò, ad eum, ceu dominum, spectat *L. pignus. 9. C. de pignor. act.* Debitor verò per translationem domini ab omni periculo ac damno liberatus est *L. acceptam. 19. C. de Usur.* perinde ac si ad manus Creditoris pecuniam solvisset; quia depositio legitima effectum solutionis operatur. *L. Obsignatione. 9. C. de solur.* è contra, neglectis depositionis justæ requisitis, depositio pro non facta habetur, ideòque meritò ei damnum, cui & commodum, incumbit, pro distinctione reprobatae bonitatis vel extrinsecæ vel intrinsecæ, de qua supra in §. 17. cap. præc. 2. sic satis fusè à nobis actitatum fuit.

§. VIII.

Quæsitum igitur hoc casu memini: Ad quem videlicet, posteriori hoc casu, *non observatis sc. justæ depositionis requisitis, si de certo moneta genere aut valore convenerit, intereaq; dum talis depositio pecunie in monetâ conventâ facta, valor ejus decreverit, damnum illud, ex tali valoris reprobatione, durante depositione hâc illegitimâ,*

illegitimâ, ortum pertinere debeat? Et mihi quidem, cum hæc depositio pro nunquam factâ censeatur, ac nullos adeò veræ depositionis effectus sortiri possit, decisio secundum superiorem nostrum §. 17. cap. 2. quæst. *extra casum legitima depositionis, vers. Hæc verò extrinsecâ mutatâ &c.* repetenda videtur; factâ nim: distinctione: *AN de certo moneta genere inter partes non convenerit;* Et Creditoris esse damnum, ob rationes in *supradicto* §. 17. *vers. priori modò &c.* additas; *AN contra:* Et subdisting: *AN pactum resp. commodi vel incommodi expresse adjectum sit;* *AN minus.* *Hòc casu,* debitoris commodum & incommodum manere veriùs est, ob rationes item *supra dictas* §. 17. *vers. posteriori modò &c.* *Illò autem casu,* quamvis depositio etiam pro invalidâ & non factâ sit habenda, attamen propterea à conventionem & pacto contrahentium non recedendum, sed prout conventio expresse inita, ea servanda fuerit; *TUM,* quod aliàs pactis & promissis contrahentium stari oportet *l. 1. ff. de pact. l. 1. ff. Constit. pecun. Conf. supr. §. quartò. 15. præc. cap. 2.* [ita circa exsolutionem debitæ pecuniæ imprimis inspicere debet, quid contrahentes senserint, & quò monetæ genere, *num in aureis, vel thaleris in specie,* ac quò valore, *præsertim adjectò pactò commodi vel incommodi,* exsolutionem fieri voluerint, *nec ne;* Promissâ siquidem solutione in certo monetæ valore, cum expresse pacto commodi vel incommodi debitoris vel creditoris, prout expresse convenit, ita standum omninò est conventioni, nec alium valorem, aliamvè monetam, nisi amplius in rerum natura esse desiderit, Creditor acceptare, vel debitor exsolvere tenetur. *Berl. 2. concl. 36. n. 52. Conf. infr. §. 17. præced. cap. 2. vers. posteriori modò &c. in pr.]* *TUM,* quòd conventio aliàs hæc nullum sortiretur effectum, contra intentionem contrahentium, qui frustra tamen pacisci voluisse non præsumuntur, *arg. l. quoties. 59. ff. de V.O. l. 1. in fin. ff. ad Municipal. l. un. C. de Thesaurum.* quos tamen actus frustratorios jura detestantur, *l. hæc stipulatio. 14. §. 1. ff. ut Legat. seu fideicomm. servand. L. ait Prator. 3. in pr. ff. de jurejur.* *TUM* denique, si vel, ob ipsum requisitorum neglectum, depositum pro nullo haberetur, ex mora saltem debitor obligatus remaneret;

atqui non facit mora, ut plus debeatur, sed tantum, ut ejus, quod debetur, aut periculum, aut accessio (i. e. usura. vid. supr. §. 2. b.) præstetur, *L. si ex Legati. 23. & L. seq. L. si servum. 91. §. sequitur. 3. ff. de V. O. L. mora. 32. §. in bona fidei. 2. L. cum quidam. 17. §. si pupillo. 3. ff. de Usur.* Ex quo sequitur, contrahentem necendo moram, non obligari, ut debitum in meliore moneta solvat, quam de qua fuerit conventum; idemque de valore, annexo expresso pacto commodi vel incommodi, dicendum.

§. IX.

Quod verò effectum ad Creditorem pertinentem, concernit, is duplex est: *Primò* factâ legitimâ depositione, datur Creditori *actio in rem* pro pecuniâ depositâ, contra quoscunque ejus possessores, at non directâ quidem, sed utilis. *d. l. acceptam. 19. C. de Usur.* Dominium enim Jure Civili in Creditorem translatum non est, cum nec traditio nec accipientis consensus intervenerit. *L. traditionibus. 20. C. de Pact. L. in omnibus rebus. 55. ff. de O. & A. Conf. §. 3. & 5. supr. b.* Sed quia debitor hoc animo deposuit, ut vellet creditorem acquirere, non verè quidem, sed fictè saltè per depositarium tradidisse & per hunc Creditor possessionem, ac consequenter dominium acquisivisse videtur. *L. traditio. 20. §. ult. L. ea quæ. 53. ff. de acquir. rer. dom.* Atque ita hæc translationi dominii similia sunt, ut ex mente & sententia Juris Civilis actio utilis concedatur.

§. X.

Deinde datur Creditori etiam *actio depositi* in personam, adversus depositarium, non directâ item, quæ debitori deponenti competit. *l. 1. §. est a. 22. ff. de posf. sed utilis, ex mente scil: & sententia Juris Civilis. arg. l. pen. in fin. C. ad exhib.* Ita namque debitor pecuniam deposuit, ut Creditori poscenti restitueretur, & proindè ex ipsius conventionem hanc is actionem exercent: Intellege, si pecunia manserit penes depositarium, & debitor ipse pro potestate, quam habere eum (*supr. §. 5. in pr. b.*) diximus, à depositario non receperit: quomodo interpretor verba *l. 19. C. de Usur.* [non adv. debitorem, nisi eas receperit] ut hoc solum signifi-

significent, manente depositō, cum depositario, non cum debitorē, experiundum esse.

§. XI.

Quā iterum occasione tractatum scio: si pecunia hōc modō à deponente q̄. postliminiō revocata fuerit, quā demum actione experiri creditori liceat? Dubitari enim ex eo poterat, quod legitimē deponens ab omni obligatione & actione liberetur, quæ semel sublata reviviscere amplius nequit, *l. qui res. 98. §. aream. 8. vers. nec admissum. ff. de solut.* At primævæ tamen actioni locum esse, cum *Gloss. ad. d. l. 19. lit. H.* juri congruentius putem: non obstante eō, quod dicitur, *depositione legitimā omnem Obligationem sublatam credi*: quia hoc intelligitur de ea depositione, quæ durat & manet: alias si depositum revocatur, fingitur nunquam depositum; Illa quippe dicuntur fieri, quæ facta durant. *l. si pro patre 10. §. versum. 6. ff. de in rem verso. ibiq̄. Goth. lit. D.* Præterea, cum illa liberatio sit in suspensō, & per id legitimē deponens non ipsō jure, sed ope exceptionis liberetur, *vid. supr. cap. hujus. §. 5.* hæc actio omninō non est sublata: quare hōc casu, si depositum, ut modō dictum, à debitore revocetur, continuō omnes isti, quos enumeravimus, præclari effectus in nihilum recidunt; sic ut jam perinde, ac si nihil actum, nec unquam deposita pecunia fuisset, haberi debeat; Itaque non id solū omne, quod depositum fuit, repeti, sicut antè, cum effectu poterit actione pristinā directā, non utili: Sed & usuræ deinceps, quas stiterat depositio, spontè currere, & pignora iterum teneri incipient. *l. 7. vers. quod si. ff. de Usur. l. 8. ibi: & bo. diè. C. de distract. pign.* Quin ejus etiam temporis, quod in deposito pecunia fuit, quanquam usu ejus debitor caruit, usuræ nihilominus debebuntur. *d. l. 7. l. 41. §. 1. ff. de Usur.* Atque hoc non eō tantū casu, quō totam pecuniam receperit debitor, sed & quō partem ejus aliquam, obtinere crediderim; Sic, ut ne pro eā quidem parte debiti, quam reliquit, obligatione sortis aut usurarum liberetur; quin ne vel pro eā insuper temporis portione, quā tota pecunia in causa depositi fuit. *arg. d. l. 41. §. 1. ff. de Usur.* Cum perinde sit, ac si partem, quam reliquit, ab initio solam obsignasset

per



per d. l. 41. §. 1.; quò tamen casu quid juris sit, jam antè in §. 4. cap. 2. explicuimus: Neque sufficit, creditorem debitum totum, si voluisset, accipere potuisse; Sic enim deponenda pecunia, atque in ea causa statuque relinquenda est, ut quòvis tempore creditori integram eam ex loco depositionis accipere liceat.

§. XII.

Hucusque de *effectibus*, quos oblatae pecuniae obfignatio & depositio, tùm in persona debitoris, tùm creditoris producit; Ex quibus patet, horum effectuum causam esse oblatae pecuniae Obfignationem, Obfignataeque Depositionem. Sed utrum hoc perpetuum sit, & quid sola oblatio, tùm realis, tùm verbalis, itemque sola consignatio & depositio in specie, operetur, seu quales effectus quaelibet sola in specie producat, in sequenti capite latius inspiciendum fuerit.

CAPUT QUARTUM.

*De Effectibus in specie tam Oblationis, quam
Consignationis & Depositionis.*

§. I.

HAud negandum igitur existimamus, *Oblationis* tùm *Verbalis*, tùm *Realis*, non contemnendos Speciales quosdam effectus esse; Et *Realis* quidem in re mobili & quantitate certâ: *Verbalis* verò, in re immobili, & incorporali, ut & quantitate debiti incerti. *add. infr. cap. 2. §. 3. b.*

§. II.

Oblationem Verbalem quòd attinet, duo existunt casus, in quibus absque Oblatione reali, pecuniae debitae Obfignatione, & solenni depositione, hæc sola effectum liberationis producit. *Primus* est, in specie *l. ult. C. de Usur. pupill.* ubi placuit tutorem, qui pupillo judicialiter denunciavit, ut iudiciò ageret, ex causa tutelae, fortis debitae usuras non præstare, si pupillus consuli id differat, incertumque sit, quantam pecuniae summam ex administratione tutelae debeat. Hoc enim factum minoris, quò realem pecuniae Oblationem, Consignationem & Depositionem impedit,

impedit, ei ipsi potius, quam tutori nocere oportet. *L. factum cuique. 155. ff. de R. J.* Idemque ad alias actiones generales, pro socio, negotiorum gestorum &c. in quibus de quantitate debiti non constat, extendi licite potest.

§. III.

Quid ergo, si contingat tutorem hunc post repente vel incendio, vel aliis casibus fortuitis omnia bona sua amittere, num ab obligatione principali liberetur? Quod tuto dixerim, dummodo id fiat absque dolo & lata culpa debitoris. *Vid. infr. §. seq. 4. & 5. in fin. vers. at oblatione facta.* Non Obstant verba *d. l. ult. denunciationibus hisce interpositis cursum usurarum inhiberi*: quia Impp. Diocletianus & Maxim. tantum de Usuris rescripsere, forte, tanquam principali, adhuc existente, non vero eam etiam preemptam: hoc enim casu propositio principale non erit deterioris conditionis suo accessorio; cum etiam extra casum Oblationis debitor, mora & omni culpa vacans, solum interitu rei debitae liberetur *per l. 5. ff. si cert. pet.* multo magis hac ipsa oblatione precedente: quod etiam casu tantum dolo & lata culpa praestatur, *ut infr. in d. §. 5. vers. at Oblatione facta &c.* demonstravimus; Nec Obst. quod *d. l. 5.* loquatur de re debita certa: *in h. l. ult.* vero de pecunia, quae incerta est & in genere debetur, ac sic perire non potest *per l. 30. §. 5. junct. §. seq. ff. ad L. Falcid.* cum genus perire nequeat *gl. d. l. 5. lit. A.* nec generis debitum *gl. marg. ad l. 11. C. eod. ibiq. Goth. in not. lit. B.* Haec namque distinctio certae rei debitae & incertae extra hunc casum nostrum Oblationis adhibenda est, & sic eodem casu, si Oblatio non praecesserit, incertum tale debitum ac genus perire non posse verum est, secus vero eam oblatione facta; *per d. gl. l. 5. lit. A. Conf. infr. d. §. 5. vers. At Oblatio si praecesserit.* Et hoc casu verbalis haec oblatio idem operatur, quod *realis infr. in d. §. 5.* Hinc nec Obst. quod iidem Impp. Dioclet. & Maxim. *in d. l. 11. C. si cert. pet.* rescripsere, incendium aere alieno non eximere debitorem: Aere autem alieno pecuniam significari, non certam specie definitam, sed certum numerum debitam. *L. etiam. 159. ff. de V. S. L. Procuratoris. 5. §. sed si dedi. 18. ff. de Tribut. Act.* Eodem quippe modo, *uti vers. preced. h.*

D

respon-



respondendum autumo: quod hâc nim: l. 11. dicatur de casu, quando Oblatio non præcessit; Conf. b. d. §. 5. vers. at Oblatio si præcesserit &c.

§. IV.

Alter est casus, si debeatur res incorporalis, puta, servitus &c. vel res immobilis, v. c. fundus. Quæ res cum realiter offerri, consignari ac deponi nequeant, sufficit testibus præsentibus illas tantum verbaliter offerri: ut nempè debitor dicat, se paratum esse solvere, seu præstare fundum vel servitutem. Cujus Oblationis hic est effectus, ut si post eam hæ res absque ejus dolo aut culpa lata pereant, liberetur debitor, non secus ac si pecunia debita solenniter fuisset deposita. Nov. 91. c. 2. L. si mora. 9. ff. solut. matrim. add. Struv. Exerc. 27. th. 67. in fin.

§. V.

Effectus verò Oblationis Realis absque consignatione princeps hic est, quod oblatione justè factâ (quod quid sit *supr. ad cap. 2. §. 2. h. vidimus*) Creditor eam rejiciens in mora constituitur, & confestim res oblata ejusdem periculo esse incipit, sic ut si postea illam perire contingat, illi pereat, debitor autem penitus obligatione liberetur. l. 39. l. 72. ff. de solut. l. 84. §. 3. d. leg. 1. atque in hunc sensum accipio l. 6. ff. de dol. mal. except. (verb. opera Creditoris, id est, recusatione accipiendæ pecuniæ:) Quò quidem casu non tam oblatione rei, quàm consecutò eam interitu, liberationem contingere dicendum puto: aliud namque periculi in creditorem translatio, aliud debitoris liberatio est; ille proprius Oblationis effectus est, hic Interitûs: Nisi enim res post oblationem periisset, oblatione solâ deberi non desineret. Neque tamen hunc liberationis modum ad eam Regulam pertinere dixerim quâ Debitor speciei liberari interitu ejus intelligitur, quamvis non obtulerit, dum ante moram perierit. l. 23. l. 83. §. 5. verb. nam & cum. ff. de V. O. hoc enim nonnisi in debito certi corporis reivè, quam speciem dicimus, locum habet; non item cum aut pecunia aliavè quantitas, aut res quæcunq̃e generaliter, aut alternativè debetur (nisi hõc postremò casu res utraq̃e perierit) l. 11. C. si cert. pet. l. 30. §. 5. ff. ad L. Falcid. l. 2. §. 3. ff. de

de eo qu. cert. loc. l. 95. ff. de solut. Conf. §. 3. supr. h. At Oblatio si præcesserit, interitu corporis ipsius, quod Oblatum est, cuiuscunque sit generis, plenissimè liberamur l. 72. ff. de solut. l. 84. §. 3. d. leg. 1. l. 105. ff. de V. O. gl. in l. 5. ff. si cert. pet. lit. a. Præterea huic Regulæ locus non est, cùm culpâ debitoris res perierit, si contractus, ex quo debetur, culpam recipiat; at oblatione factâ nunquam nisi dolus præstetur, eaque culpa, quæ dolo comparatur. l. 17. junct. l. 2. §. 1. cum. l. seq. ff. de peric. & comm. rei vend. l. 9. junct. l. 18. §. 1. ff. sol. matrim. Æquitatem hujus juris ostendit Marcellus J. C. in l. 72. ff. de solut. dum non æquum esse ait, teneri pecuniâ amissâ cum, qui non teneretur, si creditor accipere voluisset.

§. VI.

Hinc non ineptè quæritur, Annon Speciales in jure dentur casus, in quibus sola oblatio pecuniæ realis absque consignatione, & non attentò rei interitu, (de quo aliàs in §. præced. vers. quò quidem casu. & vers. At oblatio si præcesserit. sermo fuit) effectum liberationis operetur? Et Resp. Aff. (1.) in L. qui Romæ 122. §. Seja. 5. ff. de V. O. Titius v. gr. & Sejus administrârunt unius pupillæ tutelam, mortuis tutoribus & pupillâ, unus Tutorum reliquit heredem, Sejam, quam heres pupillæ convenit actione tutelæ ad reddendam rationem & reliqua; Seja verò transegit cum herede & solvit majorem partem pecuniæ, in residuam cavit & usuras promisit; Postmodum heres trans actionem cum Seja factam servare renuens, denuò eam coram judice pulsat (pristinâ scil. actione) & victus est: appellat & alterâ vice vincitur, postea Seja, sciens tamen se debere aliquid de reliquis tutelæ, obtulit summam, quam debebat: At heres pupillæ acceptare recusat; Quærebatur: an Seja teneatur ad usuras istius pecuniæ? Respondet J. C. tus, non teneri: cum per eam non steterit, quò minus solveret, sed per heredem, quod noluit recipere. gl. ad d. l. (2.) in l. fin. C. de Condit. insert. Quod favore libertatis placuit. (3.) est in l. 1. C. de susceptorib. lib.

10. Ubi sola Oblatio liberat à publicis debitis, nec res incidit in commissum, sed susceptor tenetur damnum fisco resarcire

in duplum, ut h. m. coerceatur malitia (quæ hic principaliter
& summoperè attenditur) eorum, qui suscipere solutionem
Tributorum sine causa recusant. Gloss. *ibid. lit. P. (4.) est in l. pecunia 9. §. usurarum 1. ff. de usur. & in l. si per te non stat. 9. C. eod.* Quibus in locis creditor pro mutuo minores usuras stipulatus est, & simul convenit de præstandis majoribus, si sua die minores non solveret debitor, qui si jam tempore congruè offerat minores usuras, evitat cursum majorum, quia hæ nondum cœperunt; [Solâ enim oblatione impediuntur usuræ, quæ nondum cœperunt currere, ut h. loc. majores: Secus in iis, sc. minoribus, quæ currere cœpissent: Quia ibi non sufficit oblatio vel etiam privata depositio. *gl. ad L. 9. C. de Usur. lit. G. vid. infr. §. 12. vers. aliàs si & c. h.* Sed ut harum minorum sistatur cursus, requiritur oblatio, consignatio & depositio *gl. d. l. 9. §. usurarum 1. ff. de usur. lit. 1. verb. inculpatam (i. e. quo ad majores) qua de re infr. in §. subsequenti 8. ubi dist.*] Non Obst. l. 6. & l. 19. C. de usur. ibi enim de usuris debitis: Illic verò de usuris indebitis, agitur.

§. VII.

Alter est effectus Realis Oblationis, quòd moram purgat ante commissam, h. e. efficit, ne magis debitori mora, quam ante fecit, noceat, ac si nunquam fecisset. l. 73. §. fin. l. 91. §. 3. de V. O. Lim. (1.) nisi jus actoris ex ea mora modò deterius fuerit factum. l. 135. §. 2. de V. O. arg. l. 8. ff. si quis caution. judic. sist. (2.) nisi Obligationi adjectus sit dies & pœna simul, si ad diem non solvatur. L. 23. de Recept. L. 23. de O. & A. Solus autem dies vel sola pœna purgationem moræ non inhihet l. 17. de Const. pecun. l. 122. §. 2. vers. item quero. de V. O. L. 21. §. fin. de Recept. Vid. Exam. jurid. Schot. ad tit. ff. de usur. quest. fin. add. Guid. Pap. quest. 171. n. 1. in fin. cum seq. (3.) Nisi seriùs fiat Oblatio, veluti, post litem contestatam, tum enim cessat purgatio moræ, L. 84. de V. O. quia jam creditoris palam interesse cœpit.

§. VIII.

Dictum antehac de liberatione & purgatione moræ; jam restat inquirere: utrum sola Realis Oblatio sistat usurarum cursum? Quò casu distinguendum censeo: *AN post Oblationem fors perierit,*

perierit, sine culpa tamen debitoris; estque periculum Creditoris. *l. si debitor. 30. l. qui decem. 72. in pr. ff. de solut. L. creditor. 102. eod. l. ita liberatur 6. §. 1. ff. quib. mod. pign. Sich. in d. l. acceptam. n. 14.* Excipitur pecunia pupillo debita, quam offerri satis non est, sed obsignari & deponi etiam oportet. *L. tutor. 28. §. 1. ff. de admin. & per. tut. AN fors vero adhuc salva sit; & tunc non solum fors deberi non definit, L. illud. 17. ff. de peric. & comm. rei vend. L. sed si postea. 24. ff. de Rec. qui arb. rec. L. debitor. 7. in fin. ff. de Usur. d. l. acceptam. in fin. C. eod.* Verum etiam usurae ejusdem peti rectè possunt. *d. l. 7. l. 1. §. ult. in fin.* Ratio est, quòd, dum debitor pecuniam oblatam, quam Creditor recusavit accipere, sibi retinet, neque obsignat & deponit, haud dubiè eà uti credatur, ut pro usu usuras meritò debeat, huc refer. *supr. cap. 3. §. 4.*

§. IX.

Sed & hìc non incommodè quæri potest: *An debitor, volens offerre, teneatur ire ad domum Creditoris, vel è diverso Creditor ad debitorem venire?* Atque equidem sanè cum Gl. & Dd. communiter in *l. 2. §. fin. C. de jur. emphyt.* Debitorem ad domum Creditoris se recipere, & ipsum sequi, ut liberetur, debere propius putem, usque adè ut ne vel audiendus esse videatur, si diceret: *Exspectavi donec ad me venires;* quod indubiè verum erit, si creditor & debitor sint ejusdem fori & domicilii, *L. item illa. 18. ff. de Const. pecun. ibique gl. & Bart. Item Goth. in not. lit. E. secus* autem si essent diversi fori; nisi speciali pactò creditor aliter sibi providerit: attamen debitor diversi fori, si omninò velit esse securus, cùm regulariter teneatur offerre debitum creditori in loco sui domicilii, die solutionis veniente, convocet aut testes aut Notarium, & coram illis protestetur, pecuniam esse præstò, & se paratum esse ad solvendum, dummodò aliquis occurrat, qui exigat. Hanc cautelam dat Guido Papæ *Cons. 156. in fin. referente Sich. ad L. magnam. 12. C. de contrah. & committ. stip. n. 16. & 17. pag. m. 1095. & ad l. 19. C. de Usur. n. 17. p. m. 438.*

§. X.

Hucusque iterum de Oblatione tam verbali, quàm reali,
D 3
quæritur

quæritur ulterius: *Utrum sola Obfignatio pecunie & pecunie obfignata depositio quandoque absque oblatione reali liberationem producat & cursum usurarum sistat?* Cui facile consentio; & quidem in hisce duobus casibus: *Primus* est, si ei, cui obligatus est debitor, tutò solvi nequeat, veluti pupillo tutorem, aut minori Curatorem non habenti, *L. cum quidam. 17. §. si pupillo. 3. ff. de Usur.* hòc enim casu pecuniam obfignatam statim deponere potest debitor, ne vel ille ulterioribus usuris oneretur, vel Creditor pupillus aut minor pecuniam perdat. *L. ait Prator. 7. §. sed etsi. 2. vers. sed hodiè. ff. de minor.* *Alter casus* est, si non constet, cui pecunia debeatur: V. G. si post mortem Creditoris ignoretur, quinam ejus heredes sint, aut si nomen debitoris hypothecæ nexu teneant alii Creditores, quibus debitor principalis æquè est obligatus, ac de jure prioritatis disceptent: cùm enim Creditor incertus sit, per rerum naturam pecunia ei offerri nequit, *L. pecunia. 9. §. 1. ff. de Usur.* Obfignari tamen debet pecunia, & obfignata deponi, aliàs debitor non liberatur. *arg. d. l. ait prator. 7. §. sed etsi. 2. vers. sed hodiè. ff. de minoribus. L. evictis, 18. §. 1. ff. de Usur.*

§. XI.

Non Obst. quod *supr. in §. 6. hujus cap. 4. Cas. 4. in specie d. l. pecunia 9. §. 1. vers. si tamen,* incertò existente Creditore consignatio non requiratur: *Illic* namque usuræ majores debentur sub conditione, si minores ad diem solutæ non fuerint, Ab earum autem præstatione liberatur per solam Oblationem; nec opus est consignatione aut depositione *l. 9. C. de usur.* Hâc verò Oblatione omissâ, ipsò jure non liberatur, quamvis incertum, cui post mortem Creditoris solvendum; exceptione tamen doli mali liberabitur, si majores usuræ prioribus petantur. *d. l. pecunia 9. §. 1. in fin. ff. de usur.* At in *proposito præced. §. 10.* fors aut usuræ non debentur sub conditione: quapropter ex *d. l. 9. §. 1.* nullatenus probari potest, Obfignatione solenni in casu præsentis opus non esse.

§. XII.

Silentiò interim haud conniventer prætereundum fuerit, duobus

bus illis casibus, supr. in proximè præced. §. 10. recensitis, de-
 positionem judicialiter factam intelligi oportere: *uti supr. ex §.
 Coeterum 21. cap. 2. n. 2.* abundè patescit, *add. Sich. ad l. acceptam
 19. C. de usur. n. 10. ubi ex l. si Creditrici 6. in fin. C. de usur.* hæc
 Cautela datur, quòd debitor insuper coram iudice protestari de-
 beat, se vel obligatum esse absenti, vel pupillo, tutorem, aut mi-
 nori, curatorem non habenti, & jam jamque paratum esse sol-
 vere, si sit, qui accipere & velit & possit: talis quippe protesta-
 tio habet vim Oblationis, per elegantem *text. in simili, in l. 2. ff.
 de naut. fœn. l. de pupillo 5. §. si quis ipsi prætori 7 ff. de nov. op. nunc.
 aliàs si injussu iudicis, vel propriâ authoritate deponeret, illa
 depositio nihil efficeret. L. pecunie. 9. in fin. L. cum quidam. 17.
 §. si pupillo. 3. ff. de Usur.* In casu autem, quò nec haberet debitor
 copiam Creditoris, nec etiam copiam Iudicis, & timeret ne in
 pœnam, vel moram incideret, licitum ei erit coram honestis
 viris protestationem facere, adhibitò ad id Notariò publicò: ex-
 emplò eorum, qui ob metum iudicis appellare non audent. *l. fin.
 C. de his, qui per met. jud. non appell. Sich. ad Cod. d. loc.*

§. XIII.

Novissima tandem, nec à foro aliena Juris Quæstio circum-
 fertur: *An ea, quæ hætenus dicta sunt de solennitate Oblationis &
 Ob signationis, locum etiam habeant in depositione necessaria* (quam
supr. in §. 4. cap. 1. sequestrationem appellavimus) quando Ju-
 dex mandat, ut debitor pecuniam apud sequestrem deponat?
 Quod mihi sanè videtur non esse necessariam; vel maximè, si ideò
 Judex mandet, ut pecunia apud sequestrem deponatur, quòd
 duo v. gr. vel tres sint Creditores, quorum alter alterò jus potius
 habere censetur. *L. litibus. 20. C. de agric. & censit. lib. 11.* Neque
 enim hòc casu offerri pecunia potest, ob id, quòd incertum sit
 ob contradictionem Creditorum, cui debeatur, *L. pecunie. 9. §.
 1. ff. de Usur.* Ob signatione ideò opus non est, quia Judex vult,
 ut pecunia sit apud sequestrem, qui hanc pecuniam qf. possidet
*L. licet. 27. §. 1. ff. depos. quique de dolo & lata culpa tenetur, l. 1.
 §. si quis servum 9. L. quod Nerva 32. ff. depos. interdum etiam de
 omni culpa, si se sequestro obtulerit l. 1. §. sæpè 35. ff. deposit.*
 (cùm

(cùm aliàs jussu demum Judicis hoc officium lubens in se recipiat, aut ex causa ad sequestrum recipiendum à Judice compelli possit, juxt. Bald. in l. 1. ff. ubi pup. educ. deb.) aut aliquid pro Custodia accepit. juxt. Gloss. in cap. fin. extr. depos. Vid. Schneidwin. in §. praterea 3. Instit. quib. mod. re contrah. Obligat. num. 17. Solennitate igitur Oblationis & Consignationis cessante, cessare debent ipsæ leges seu observationes & requisita utrobique in specie, tam Oblationis, quàm Obsignationis necessaria. Ac de his quidem Speciatim *supr. in fin. cap. 2. §. coeterum, ut justa &c. 21. de illis verò *supr. in princ. d. cap. 2. §. Ac primum requisitum. 1. §. secundo 4. §. sequitur tertium. 10. & §. quarto, ut Oblatio &c. 15.* fufiuscule sic satis dictum est. Tibi interim,*

Individua SS. Trinitas,

OBLATA, CONSIGNATA
ac DEPOSITA

fit

Laus, Honor & Gloria
in æternum

A M E N.

COROL-

COROLLARIA.

I.

Filius fideicommissio gravatus de
Jure Civili tantum unam quar-
tam detrahere potest.

II.

Damnatus ad ultimum supplicium,
per puellam, cum in matrimo-
nium petentem, liberari non de-
bet.

III.

Fidejussorem, se, ut principalem,
als Selbstschuldener/ obligantem, non
habere beneficium Excussionis,
probabilius est.

IV.

Juramentum: *de non transigendo*: fa-
ctum de jure servandum non esse,
utilitati publicæ convenientius
arbitror.

F I N I S.

OS (34) 50

Nobilissimo, Consultissimo Domino

D. JOHANNI WILHELMO
K I R B E R G,
Illustrissimi Com: Benthemien-
sis &c. Consiliario,

cum

Nitidè elaboratam:

De Oblatione, Consignatione ac Depositione
Pecuniæ debitæ:

DISPUTATIONEM SUAM INAUGURALEM

Publicæ Eruditorum disquisitioni, pro consequen-
dis U. J. Doctoratûs honoribus,

Summâ cum laude proponeret;

Offero jam TIBI nunc, *Subscriboq; * carmen,*
AMICE, &
Depono. An totô hinc jure solutus ero?

* Vid. l. 39. ff. de V. S.

*Subitarium hunc amicissima cognationis
gryphum subjicere lubens
voluit*

A. BRAND. U. J. D.
& Prof. Ord.

IN fori Arenam Eruditus Athleta descendis?
Ungaris prius oportet, si certare intendis:
At Pontificiis UNCTIO est fatalis, ætate istâ;
Quid ergò mirum, si strictè pugnat *Unctus* Ju-
rista?

Tribunal tribulat; Est Curia maxima Cura
Ab Injuria sua defendere Jura:
At tu in hoc puncto famelicæ bilis
Criminalis non es, cum sis nimum Civilis.

Ecce Titulus reverâ competens Docto;
Quis igitur Te non appellet *Politicum*, ut Octo?
1. *Scientiâ* 2. *Æquitate* 3. *Benignitate* 4. *Rigo-*
re moderato,
5. *Industriâ* 6. *Consilio*: his gemmis Te exornatam,
Coronabit 7. *Constantia* 8. *Labori permista:*
Super his *Polis* firmiter stans, eris optimus
Statista.

Ecce *Arcum* meum, victorioso *Athleta,*
Ubi *Illustris* Gloriæ tuæ est *meta,*
Ex intimo Cordis affectu applaudendo,
In *Arcum triumphalem* hodiè cum voto appendo:
Reliquum meritorum *Immortalis* Tua repen-
dat *Fama:*
Inter nos interea respondeat utrimque *AMA.*

Ita

In sinceri affectûs tesseram

Consultissimo D. Doctorando, Cognato suo longè
mellitissimo, Cordicitus applaudit

ARNOLD: ADOLPH: MOMM,
J. U. Stud:

205

In hoc Atrium...
 Quis iuris...
 Ecce...
 Super his...

ARNOLD: ADOLPH. MOMM.
 J. U. Stud.

3



Duisburg, Diss., 1661-99

(1)

ULB Halle

3

004 527 046



Sb

107



S. JURIDICA
ACTICA
IS,
1690
OBSIGNA-
ne Pec-
SIDE;
reto
Consultissimæ
JURIDICÆ,
emia Ele-
est Duis-
n,
Privilegiis
Solenniter
æ submittit
S KIRBERG,
Com. Benth.,
&c.
Octobris,
E NV M,
Academ. Typogr.

245
13